



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 18. Perfida Hugonottarum oppositio adversus quemdam Edicti
Nannetensis articulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. XVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

*Perfida Hugonottarum oppositio ad-
versus quemdam Edicti Nanne-
tensis articulum.*

*Hist. de Pro-
gres du Cal-
vinis. l. 8.*

*Daniel Hist.
de France
tom. 10.*

*p. 287,
Vid. Hist.
Eccles. ad
ann. 1598.
§. XIV.*

Interea Hugonottæ nil a pervicaci sua
arrogantia, ac rebellionis prurigine
remittebant; quamvis enim sua violen-
tia Regem ad Nannetensis edicti pro-
mulgationem compulissent, ac ipsimet
interposita etiam juramenti Religione
omnes hujus edicti articulos integra
fide se servaturos spondissent, nihilo-
minus Occidanæ Catholicos ad officia,
ut vocant, electiva, necnon ad munia
in hujus Provinciæ urbibus subeunda
admittere recusabant, quamvis quodam
præfati hujus edicti articulo disertis
verbis sancitum esset, quod tam Catho-
lici, quam Hugonottæ æquo jure ad e-
jusmodi officia seligerentur: de hac i-
gitur repulsa Catholicis haud immeri-
to querentibus Rex justitiam fieri præ-
cipiebat: attamen Hugonottæ adeo
pervicaciter parere renuebant, ut Con-
nestabilis hujus Provinciæ Gubernator
interposita etiam omni, qua pollebat,
auctoritate haud amplius ab eis impe-
trare posset, nisi ut electiones suspende-
rentur, donec Rex nova daturus esset
mandata. Nec hac indulgentia con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

tenti Hugonottæ Salmurium ad Conventum suum, quem spreto Regis interdicto, & violata Nannetensis edicti fide adhuc continuabant, suos ablegabant Deputatos, ex quorum consilio Hugonottæ, ac præprimis Bullionius, & Tremollius Duces contra Regis mandatum in Occidaniam transmissum tertiam vice reclamabant: verum Rex eorum pertinaciæ cedere haud consultus ratus sibi omnino obtemperari voluit.

§. XIX.

Continuatio controversiæ inter PP. Dominicanos, & Jesuitas.

MS. p. 163.
apud Hyac.
Serr. appen.
fol. 91.
Hist. Congr.
l. 2. c. 9.

Cum anno priori Patres Societatis Prædicatorum responsa ad tres quæstiones a Cardinali Madrutio propositas contrario responso confutassent, mox Dominicani hoc anno die decima Februarii illorum adnotationes impugnabant, nondum tamen taceantibus Jesuitis ipsemet Madrutius Cardinalis utriusque partis responsa discutens suum desuper iudicium pronuntiabat, & quidem sexdecim Patrum Societatis propositiones referens in eis partim falsa, partim minus necessaria, aut sinistre intellecta proferri censens de doctrina autem physici Prædeterminationis sequens ferebat iudicium: *Ea, si juste consideretur, divina, summa,*